

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Germania Literata Commentatvr , Simvl De Bibliotheca Carolo-Fridericiana Pavca Monet

Molter, Friedrich

Carolsruhae, 1770

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-124895](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-124895)



Tempus erat, quo informem terris, asperam coelo,
tristem cultu adspectuq. Germaniam *a)* vel
ignorabant reliquae gentes, vel exhorresce-
bant. Immutata iamdudum est rerum facies.
Non amplius venatio, nec bellum solae viro-
rum artes, sola negotia: neque habitantur abdita nemorum
antra, foedae paludibus silvae, infoecundaque saxa aut
horridi montes. Cultus meliorq. omnia conuertit indoles.

Ri-

a) TACIT. de Mor. German, c. 2.

Rident prata; virent campi; florent arua; vrbes, oppida, arces, villae vbique exsurgunt & maieftatem, splendorem, opes dominantium populorumq. late oftentant. Iamdu- dum Barbarorum nomen a Romanis, orbis quondam terra- rum dominis, impositum maioribus nostris excuffimus. Atqui fi perinde ac illi inſcitos artium aestimatores, fi aequae ac illi *MVMMIOS* *b)* nostros habemus, sunt & nobis *SCI- PIONES*, qui *POLYBIOS* & *PANAETIOS* *TERENTIOSQ.* nutriunt, fouent, amant. Sane eò dementiae ne luxu- riosissimus quidem maiorum nostrorum vmquam prolapsus est, vt velut deuiotarum gentium, ita captorum piscium laetaretur nominibus *Orataq.* aut *Muraena*, quam *Numan- tinus* & *Isauricus* vocari mallet *c)*. Feruent Academiae, & scholae indefesso literarum studio, aemuloq. veteris sapientiae ardore. Instituuntur eruditae sodalitates prae- miaq.

b) *MVMMIVS* tam rudis fuit, vt captâ Corintho, quum maximorum artifi- cum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, nouas esse reddi- tuos. *VELL. PATERC. l. I.*

c) Iam enim erant celebres deliciae popinales, quum ab mari deferrentur viuaria, quorum studiosissimi velut ante deuiotarum gentium *NUMAN- TINVS* & *ISAVRICVS*, ita *SERGIVS* *Orata* & *L. LICINIVS* *Muraena* captorum piscium laetabantur vocabulis. *COLVM. 2. 16.*

miaq. virtutis incitamenta longe lateque sparguntur. In Museis porro & Bibliothecis reconditi artium, disciplinarum, & naturae thesauri aperiuntur. Nec deest doctrinae urbanitas, elegantia vitae, moribus sanctitas, nec adest rigidus XENOCRATES, quem Charisin vt litet, moneri a PLATONE oporteat *d*).

Vnde haec orta seculi felicitas? Ecquid naturam credamus ad gignenda ingenia certis indigere temporibus, neque exstitisse viros, quibus esset mens diuinior, nisi definitis seculorum interuallis? Quin exstiterunt, CIVES, exstiterunt semper animae generosiores. Sub illa ipsa nugarum longaeua tyrannide ac medii, quod vocant, aevi superstitiosa caligine latuere profecto LEIBNITII, BVNAVII, SENCKENBERGII, SCHOEPFLINI, MOSHEMII, HALLERI, KLOPSTOCKII. Sed, malum! latuere. Ecquid ex inuidiosis istis tenebris in lucem proferre ausi fuissent tanti viri, quum omnis humanae cognitionis arbitrium penes hominum genus esset, quibus per ipsas Hierarchiae Leges

A 3

rudi-

d) Σεμνὸς δὲ τότε ἄλλα Ξενοκράτης καὶ σκυθρωπὸς αἰεὶ ὥστε αὐτῷ λέγειν συνεχῆς τὸν Πλάτωνα: Ξενοκράτες, θύε ταῖς χάρισιν.
DIOG. LAERT. XENOCRAT, c. 2.

rudibus ineptisq. esse licebat: immo qui a literarum studio Sancti HIERONYMI exemplo absterrebantur, quem in legendo CICERONE ab Angelis misere correptum somniantur e). Itaque quos pudebat cum caeteris delirare, hos tandem sapere pigebat sublatis sapientiae praemiis.

Videatis, CIVES, quam nulla sit ingeniis emergendi facultas, nisi qui imperant vel eorum amici summo ipsi ingenio praediti sint literasq. tueantur, iuvent, alant, totque animas, vt ita loquar, humi prostratas attollant & dignitati, cui destinabantur a DEO, adserant. Hinc immortalia Musagetarum nomina, decora sui temporis, posteritatis desiderium! Hinc luminosa illa secula Ioanneum apud Lusitanos, Ferdinandeum apud Hispanos, Mediceum apud Italos, Ludouicianum apud Gallos, Georgiorum apud Britannos, Fridericorum apud Germanos.

Fa-

e) Ita nimirum statuitur in Decret. dist. 37. *Nonne vobis videtur in vanitate sensus & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur? qui physicus perscrutator oculos trans coelum leuat &c.*

Porro ibidem:

Legimus de B. HIERONYMO, quod, quum libros legeret CICERONIS, ab ANGELO est correptus eo quod vir christianus paganorum figmentis intenderet.

Faceffant hinc naeniae, quas tantopere crepuerunt rixofi Scholafticorum greges, faceffant infensae diftinctiones inter facultatis cognofcitiuae (ignofcat Latium barbaram vocem) partem fuperiorem & inferiorem, inter fcientias & artes, inter doctri- nas principales & instrumentales, heras & ancillas, vel quas Genealogorum more in matres, filias & forores difpescunt. Nec moror, varias fi quis difciplinās cum immortali BACONE & magno ALEMBERTIO in tres malit diuidere ordines, quibus fingulis vel Ratio, vel Imaginatio, vel denique Memoria praefit. Cuicui harum animae facultatum debueris, quod excellas, perinde celebrandus eris. Nec diftant, vt puto, dignitate Maeonius Vates, Atticus Orator, Cariae decus Hiftoriae parens, Cous fenex, fapiens Stagirites, magnanimus Graeciae Legislator. Singulis enim fua in doctri- na honor, fua in arte laudes constant. Sic apud Romanos veneranda TVLLIORVM, MARONVM, LIVIORVM, VARRONVM, CELSORVM & fi qua alia recensere libet nomina fuis quodque elogiis efferebantur, neque aliud alii inuidiae erat vel detrimento. Miferum enim, aut fane irridendum eft arrogantiae genus, contemnere, quae ignores & REMMII PALAEMONIS exemplo

plo *f*) *secum natas & morituras putare literas.* Te igitur, qui sacris praees diuinasque interpretaris tabulas, venerari utique fas est, quoad eximium & vitae habitu & doctrinâ te praestiteris. At sunt legum ferendarum qui suscipiunt curam; sunt qui iure dicundo ciuium saluti consulunt, quorumue est videre, nequid Resp. detrimenti capiat. Sunt porro, qui valetudini labanti solatia & adminicula subministrant, qui naturae abstrusas vires indagant easque mortalibus propitias reddunt. Hos omnes magni habere quis dubitauerit? Nec Germani umquam tam iniqui principum harum disciplinarum fuerunt aestimatores, quin pari cultu, pari eas studio subinde prosequerentur, ex quo primum renascentibus literis, REUCHLINVS, MELANCHTHON, LUTHERVS, ZASIVS, SCHNEIDEWINVS, SLEIDANVS atque GESNERVS adiutrices manus admouerant. Gliscebant indies magis haec scientiarum triga eoque dignitatis prouehabatur, vt κατ' ἐξοχὴν facultatum nomine insigniretur. Totius orbis eruditi imperium ministrante Philosopho scholastico inter se diuidebant Theologus, Iureconsultus, Medicus. Diu iste veluti triumuiratus mansit, & vt fere adsolet, non
fine

f) SVET. d. illustr. Gramm. c. 23.

sine proscriptione elegantiorum literarum caeterarumq. artium. Hinc vasta, quae tunc temporis in lucem prodierunt, Volumina parum ciuiles arguunt animos, & quamquam portentosa Doctoris Seraphici, Angelici, Subtilis, Irrefragabilis, Illuminati, nomina obsoluerant, reliquias tamen pristinae impotentiae terroremq. intellectus humani hinc inde expandunt.

At felicior iamiam Italia a seculo inde XIII & XIV praeceuntibus ALIGHIERIO & FRANCISCO PETRARCHA g) optimis imbuta literis & paullatim Musis ex Oriente profugis aucta ad summum cognitionis humanae fastigium
tan-

g) Bene precari liceat piis summi viri Manibus, liceat & succensere, quod Legum doctrinam, in qua tam longe processerat, destituerit. Causam quidem ipsemet allegat in epist. ad poster. *ego vero*, inquit, *studium illud omne destitui, non quia legum mihi non placeret auctoritas, quae absque dubio magna est & Romanae antiquitatis plena quae delector: Sed quia earum usus nequitia hominum deprauatur.* Verum enim vero quotaquaeque disciplina est, qua non abutantur homines? Emendare igitur quam deserere Iuris scientiam praestitisset. Sane Accursiana & Bartolina schola Themidis sacra tam longaeuis tricis & tenebris haud obuoluisset, si PETRARCHA, qui totum Platonem spirabat, vir in negotiis

B

tantum non adscenderat. Tunc primum horrida Schola-
 sticorum philosophia ex ARISTOTELE male intellecto nata
 ineptire desiit & cum PLATONE Itali ratiocinari didicerunt.
 Tunc primum ex veris & primitiuis artium & doctrinarum
 fontibus, ex veterum tam Graecorum quam Romanorum
 scriptis hauriri sapientia coepit *h*). Admiranda neque adhuc
 rite, prouti par erat, perspecta antiquitatis monimenta curio-
 siori iam oculo intuebatur docilior Italus. GOTHICO orna-
 tui, qui artem APPELLIS, POLYCLETI, MYRONIS & AM-
 PHIONIS dedecorauerat, nunc succedebat naturalis atque
 inaffectedata simplicitas, sine qua nulla vera animi rerumq.
 maiestas. Heroes, Principes, Reip. moderatores, aequae ac
 lite-

gotiis publicis versatissimus, vti & multiplici eruditione instructus &
 quod summa rei est de patria optime sentiens opus aggressus esset, quod
 ferius apud Italos ALCIATVS & nouissime GRAVINA cuius de Ratione
 legum eximium opus materiam subministrasse videtur Perill. DE MON-
 TESQVIEV in conscribendis libris *de l'Esprit des Loix*, CVIACIVS apud
 Gallos perfecerunt.

h) Inuenta artium ac scientiarum quae recentiori aevo attribuuntur, iam
 apud veteres cognita & solidis demonstrata fuisse argumentis latius
 docet Cl. DVTENS dans les *Recherches des Decouvertes attribuées
 aux Modernes*. Aureum hunc librum nostratibus inculcandae mode-
 stiae causa commendo.

literati excolere venustas artes haud erubuerunt & huic existimationi earum perfectio innitebatur. Philosophiae, Physices, Mathematicum, Historiae, Medicinae, Iurisprudentiae, ac Theologiae gnari homines ignorare illas religioni sibi ducebant: quin pari eas tractare studio earumque elegantiam in doctrinam quisque suam transferre atque exprimere scriptis adgredebantur. Eo tandem felicitatis peruentum est, ut, quae difficiliore & sublimiore disciplinas continebant, docta volumina eadem legerentur voluptate, qua Oden HORATIANAM aut VIRGILII AENEIDEM legere, quae contemplari PANTHEON AGRIPPAE, HERCVLEM FARNESIVM aut VENEREM MEDICEAM solemus.

Tanta Italiae fuit gloria! tam lucida aetas! quam subsequens insipidum ACHILLINI & MARINI seculum obscurare frustra conabatur. Illa constans emerfit. Cunctae gentes Italiam agnoscebant eruditionis magistrum. Pendebant ab eius ore Hispani, Lusitani, Galli, Britanni, Bataui. Tu quoque, Germania mea, particeps fuisti Italicae amoenitatis, quae laetos caeteris disciplinis honores adflaret. Beneficio id contigit Vindobonensis, Dresdenae & Berolinensis potissimum aularum, ex quo Italorum Chorographos, Mu-

ficos, Pictores, Sculptores atque Architectones accersere regiaq. munificentia prosequi dignabantur. Attentior inde Germanus, quid in solidiori doctrina praestitura sit gens venustarum aut quas alii vocitarent friuolarum artium tam perita, sciscitari coepit. Reperit ocyus non solum BONAROTAS, COREGIOS, TITIANOS, CORELLIOS, TARTINIOS & METASTASIOS, sed etiam viros in sublimiori philosophia, in contemplatione naturae, in arte medica, in cognitione historica, in studio Antiquitatum & philologia pereximios *i*). Hos igitur lectitare Germanus; hos crebris adire itineribus, & pari, ac Gallos & Anglos, feruore imitari. His enim tribus prae aliis nationibus inter recentiores patria nostra accepta refert scientiarum augmenta. Eo facilius hoc negotium procedebat, quo maiori impetu feruntur nostrates in linguas Exterorum addiscendas *k*). Nam
apud

i) Sufficiat ex multis nominasse GALILAEVM, MORGAGNIVM, SANCTORIVM, REDIVM, MARSIGLIVM, RAMAZZINVM, MALPIGHIVM, VALISNIERVM, PONTEDERAM, DONATVM, MICHELIVM, ZANOTTVM, BARONIVM, GVICCIARDINVM, MAGLIABECHIVM, MVRATORIUM, SALVINIVM, BANDVRIVM, FONTANINVM, MAFFEVM, FACCIOLATVM, immortalia nomina!

k) Secus ac Galli, qui sua contenti lingua caeteris indigere minus credunt; id quod pro more fati eleganter Celeb. MARMONTELIUS interpret-

apud cunctos fere Europae populos mos inualuerat, patrio vt quisque fermone scripta sua publicaret. Prius ergo eorum sermonem nosse, quam disciplinas oportebat. Inducere hunc morem recentiori aevo & Germanis placuit, ex quo GOTTSCHEDIVS, vir, si poësin excipias, de re literaria optime meritus, linguam nostram & emendatiorem & nitidioram reddere fategit. Huius enim opera vel cura, irri-

B 3

den-

terpretatur in humanissimis, quas ad me scribere dignatus est, literis ita praefatus: *Ma chere nation n'a pas le don des langues: l'idée de nous mettre en état de communiquer avec nos voisins n'entre pas même dans le plan de l'éducation qu'on nous donne & quand nous nous apercevons de la sottise de nos maitres il n'est plus tems d'y remedier. Heureusement pour nous le reste de l'Europe n'est pas si mal avisé. Je vois tous les jours des Suedois, des Polonois, des Russes qui parlent François mieux que les François &c.* Et Gallis quidem concedamus hanc qualemcumque praerogatiuam, vtpote quorum fermo in omnium fere populorum ore versetur. At sunt, pace tantorum virorum dixerim, sunt Reip. Literariae propriae quaedam. aeternae & ad communicandos cum vniuerso sensus suos linguae aptiores, Graeca & Latina, quas excoli ab eruditibus hominibus fatius foret, quam cuncta Europae idiomata. Neque obstat quod aliqui negant veram & genuinam Latii aut Atticam dictionem eam esse, quâ hodie vtimur. Sufficit enim intelligi apud omnium gentium sapientes eas quas doctas appellamus linguas, nec tam puritate quam perspicuitate sermonis opus esse, vt varia cognitionis humanae genera vbiuis innotescant,

dentibus nequicquam aduersariis, quos inter vix vnus alterue vsurpare ausus fuisset illud Aiacis:

— *quum victus erit, mecum certasse feretur l).*

clarissimi tam Galliae, quam Britanniae & Italiae aequae ac prisca auctores in germanicum sermonem translata peregrinarum quodammodo commercium literarum Germaniae obtulerunt m). Quo facto paulatim ex eius schola prodierunt disci-

l) OVID. Metamorph. l. 13. v. 20.

m) Hinc expurgare certatim stylum Theologus, Ictus, Medicus, Philosophus. Quid? quod & Logicam & Metaphysicam Germanico proponere sermone è re putabant: quâ vtraque tamen Celeb. ALEMBERTIVS adferit, (fatisne recte? alii videant,) carere facile posse genus humanum. Inter alia enim ita effatur in opere *Melanges de Literature* inscripto Tomo IV. p. 38.

Nous avons sur la Logique des écrits sans nombre: mais la science du raisonnement a-t-elle besoin de tant de regles? Pour y reussir il est aussi peu necessaire d'avoir lû tous ces écrits, qu'il est d'avoir lû nos grands traités de morale pour être honnête-homme. Les Geometres sans s'épuiser en preceptes sur la Logique & n'ayant que le sens naturel pour guide parviennent par une marche toujours sûre aux verités les plus detournées & les plus abstraites, tandis que tant de Philosophes ou plutôt d'Ecrivains en Philosophie paroissent n'avoir mis à la tête de leurs ouvrages de grands Traités sur l'art du raisonnement que pour s'égarer ensuite avec plus de methode,
sem-

discipuli multo meliores magistro, qui eloquentiam, poësin, artem criticam, studium Antiquitatis, historiae, omniumq. bonarum artium eo prouexerunt, vt nostratibus idem fere apud exteros honor, qui his ipsis apud nos habeatur, dum in varias linguas versa eorum scripta lectitantur n). Neque pro-

semblables à ces joueurs malheureux qui calculent longtems & finissent par perdre &c.

Pergit idem in eodem Tomo p. 41. *La generation de nos idées appartient à la Metaphysique; c'est un de ses objets principaux & peut être devroit-elle s'y borner: presque toutes les autres questions qu'elle se propose sont insolubles ou frivoles; elles sont l'aliment des esprits temeraires ou des esprits faux & il ne faut être étonné si tant de questions subtiles toujours agitées & jamais resolues ont fait mepriser par les bons esprits cette science vuide & contentieuse, qu'on appelle communement Metaphysique &c.*

- n) *Simplicitatem quidem naturae imitatricem, quâ nihil esse potest sublimius, scriptoribus nostris & praesertim poëtis fere propriam esse haud negant alii; quorum in numero Celeberrimus THOMAS, Galliae Demosthenes, literis Parisiis ad me datis ita scribit: Je connois deja la plupart de Vos autheurs celebres par les traductions Françoises que nous en avons. J'aime avec passion un grand nombre de vos poetes & je trouve qu'ils ont beaucoup mieux saisi que nous cette poesie des anciens qui peint la nature & nous rend l'Univers physique en images. Notre poesie Françoisse a les graces & les defauts qu'elle doit avoir chez un peuple plus poli que sensible & plus touché des charmes de la Societé que de ceux de la Nature. Elle est plus la poesie de l'esprit que celle de l'ame & parle beaucoup plus à la*
raison

perfecto stabit per magna ingenia, quibus nostra aetas abundat, quo minus haec Germaniae gloria in immensum crescat, donec RABNERI, KLOPSTOCKII, LESSINGII, MENDELSONII, NICOLAI, CLODII, KLOTZII, RIEDELII, HERELII, SONNENFELSII, vt alios summos viros taceam, nobis haud deerunt.

Est

raison qu'au sentiment. J'en excepte nos bonnes pieces de theatre. Nous en avons plusieurs, où l'ame parle à l'ame avec la plus grande force & où les passions sont peintes avec autant d'energie que de verité. C'est par là sur-tout que nos grands poetes se sont rendus celebres & qu'ils ont resaisi l'avantage qu'ils laissoient échapper à beaucoup d'autres égards &c.

Dicamus quod res est: quis in fabulis, Idylliis & Epigrammatibus condendis facilius, nitidius aut lepidius GELLERTO, cuius mortem diu Musae Charitesque deflebunt, LICHTWEHRIO, LESSINGIO, GESNERO, GAERTNERO & KAESTNERO? Quis porro superauerit in Epico genere KLOPSTOCKIOS & BODMEROS nostros? In Lyrico & Pſallico, HAGEDORNIOS, VZIOS, CRAMEROS, cum nobili triga KLEISTIO, GEMMINGIO, CREVZIO, aut GLEIMIOS, RAMMLEROS, LANGIOS, GERSTENBERGIOS, cum Musarum biga KLOPSTOCKIA & KARSCHJA? in didactico HALLEROS, DVRSCHIOS, WITHOFIOS, WIELANDIOS, SCHMIDTIOS? Neque enim, vt primas demus Gallis, in dramatibus componendis nobis deficiunt GELLERTI, SCHLEGELII, LESSINGII, CRONEGKII, WEISII, neque in satyris scribendis CANPZII, RABNERI, ZACHARIAE, & alia nomina immortalia.

Est haec, PROCERES & CIVES, felicissima o)
 FRIDERICO - IOSEPHINA aetas, decantatae illi
 Augusteae ingeniorum prouentu & fama si non supe-
 rior, certe non impar. Quam si contemplor beni-
 gnae instar matris nutu, voce, manibus admonentem,
 vt ingentia virtutis & sapientiae vestigia premam, vt maior
 memet ipso euadam, suffundor pudore, quod nihil dum fe-
 cerim digni homine, cui almo ipsius in gremio nasci conti-
 gerit. Sed spero fore vt Vos, CIVES, partes meas sup-
 pleatis, ne soli inter Germanos seculi genio inferiores esse
 videamur. Id vero efficietis, OPTIMI CIVES,
 dum quos memorauit Germaniae literatae Ocellos imitemini,
 eorumq. ad exemplum, siue Theologiae, siue Iurispruden-
 tia,

o) Quis enim summo cultu non venerabitur, ceu Germaniae Literatae
 Numina, *Maximos Principum Heroum*, FRIDERICVM BORVS-
 SIAE REGEM & AVGVSTISSIMVM IMPERATOREM
 IOSEPHVM, Glorioso Regnantes?

tiae, seu denique Medicae arti operam nauaueritis, animum scriptaq. uestra formetis. Sic enim ingenua & omnium disciplinarum domina eruditio, ad pulcherrimos conatus eriget pectora uestra. Sic & famam ingenio merebimini & cari eritis *Serenissimo Principi CAROLO FRIDERICO, PATRI PATRIAE, PIO, MODESTO, FELICI*, cuius infinita in Remp. literariam exstant munificentiae monumenta.

Inter illa non infimum locum tenet *Bibliotheca*, quam **CAROLO - FRIDERICIANAM** cognominare pietati nostrae liceat, quamue in usum publicum conquiri, ordinari, augeri, singulisq. Mercurii & Saturni diebus ab Hora inde X. ad XII. ante meridiem, ac post meridiem a III. usque ad V. horam patere iussit **MAGNANIMVS PRINCEPS**. Ibi docta volumina, libros rariores, Acta Orbis eruditi & ephemerides literarias varii generis, variisq. conscriptas linguis euoluere atque iis decenter uti fas est.

Quod

Quod quum laeta mente Vobis annuntio, PROCE-
RES & CIVES, hanc Musarum aedem, siue vt prisco
more inscribam, ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ *p)* adituris officia
quantulacumque mea, qua par est, obseruantia, atque inte-
gerrimo animi affectu polliceor. Valete mihiq. fauete.
Dab. Carolsruhae ipsis Kal. Ianuar. MDCCLXX.

p) DIOD. SIC. l. i. c. 4. commemorat Regis Aegypt. Osymanduae
ιεράν βιβλιοθήκην, ἐφ' ἧς ἐπιγεγράφθαι, ψυχῆς ἰατρεῖον.



W/B 544

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

